



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instrvctio Novitiorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniæ, Anno M.D.C.XIII

De vsu sacramentorum, & examine conscientiæ. C. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48624)

impossibile sit, cum illorum incuria spiritualis viros euadere.

De usu Sacramentorum, & examine conscientia. Caput. IIII.

- 1** Frequens Sacramentorum usus insignem à Fratibus nostris puritatē, ac rerum notitiam requirit: decet enim eos, quādam Dei esse sacraria, mores candidos olentia, quibus clementissimus Deus oblectetur.
- 2** Et quod ad Sacramentum poenitentiae spectat, vigilanter caueant, ne culpam leuium (Dei enim gratia graues absunt) quidam despectus obrepit, qui doloris sensū adimat: si enim leuissimas quoque culpas nō horreant, nunquam proficient: sic autem se comparabunt.
- 3** Iesum Christum Dominum, ac Pontificem nostrum praesentem imaginatione concipiāt, & id seorsum coram eo, quod postea coram Cōfessario efficiāt. Cōfessariū verò adeuntes, & ad eius pedes procūbētes, dolore quā poterunt maximo, per tria cōmunia cogitationū, verborū, ac operū capita, omissionib⁹ & vniuersē toti⁹ aetate vite peccatis, sigillatimque

latimque (ad materiam certam assignandam) præteritis mendacijs, ad confessionis calcem subiunctis, culpas detestentur: quæ confessionis methodus æquè ab omnibus tenenda est.

4 Hanc quoque (excepta illa materiaz assignatione) in examine conscientie obseruabunt coram Iesu Christo D. N. quasi ad eos audiendos præfideret, quemadmodum, de præparatione ad Sacramentum poenitentiae modò dictum est: & ut culpas expient, leuem aliquam, pro illarum modo, sibi poenam imponant: qualem videlicet, Confessarius, pro similibus culpis iniungere solet.

5 Huius quoque methodi tria capita percurrèt, bis per singulos menses, Magistro de rebus suis omnibus rationem syncerissimè, quasi Deo reddentes.

6 Eucharistiae verò Sacramentum recepturi negligentiam vitent, ac multis Fidei, Spei, & Charitatis potissimum actibus cordis domum instruere curent, qua Rex tantus excipiendus est, definito tempore aliquanto, ad eos actus produendos. Recepto verò sacramento, Iesu Christo D. N. intra ipsos condito

intensissimè vacent : & ad quolibet bona impetranda , & mala propulsanda , tempus illud quamdiu species Sacramenti consumptæ non sunt , sciant esse opportunissimum.

*De formula preparationis, qua professuri,
& induendi uti debent.*

Caput V.

- 1 **Q**uisquis induendus, vel solenniter professurus est, in hunc modum se comparabit; qui & induendis, & professionem emissuris communis est: nam qui vellet indui, & quod ad se spectat, profiteri formidaret, veste nostra parum se dignum exhiberet.
- 2 Hoc ergo duntaxat discrimen sit oportet, ut quamvis uterque profiteri velit, alter tamen non possit.
- 3 Quamobrem, quod ad animi firmitatem, & affectum attinet, cum æqualis esse debeat utriusque voluntas, æquali sane modo utrumque oportet instrui, ut idem, quod professurus vouere parat, induendus firmissimè obseruare proponat.
- 4 Primum ergo, per tempus sibi decretum, ad actum illum præmeditandum, cogi-